Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2271
Quelle:
Copyright:

ſola ex Articulis hic relatis et referendis impreſſa apud *Labb.* T. XVII. *col.* 569. 6) *Reſponſio Domini Eugenij ſuper congregatione generalis Concilij pro vnione Eccleſie.* Data *Friderici* et Principum Oratoribus. Miratur peti novum Concilium, dum praeſens celebretur *Florentiae.* Translaturum ſe tamen illud in *lateranenſe Patriarchium*, illucque ex omni natione Praelatos convocatorum ad deliberandum, *an eciam aliud Concilium numeroſius indicere expediat.* Praeterea *Baſileenſes* et *Neutralitatem perſtringit.* 7) *Replicatio domini Panormitani.* Delatum *Baſileam Eugenii* mox indicatum Reſponſum adripit et carpit *Nicolaus* initio ſumto ab eo, quod Pontifex *Fridericum* non niſi *electum* Rom. Regem dixit: *Videtur dubitare de canonica electione facta de predicto Rege Rom. ſeu de dignitate eius perſone vel de utrisque, quod vocat eum electum in Regem Rom. et non ſimpliciter Regem* &c. Atqui ſtilum Curiae noſſe debebat celeber hic ICtus. 8) *Copia Regis Friderici literarum miſſarum ad D. Eugenium ſuper congregatione generalis Concilij* 1443. Vehementer urget Concilium. *Nedum Electores ſed et complurimi Chriſtianitatis Reges et principes id ſentiunt atque ſuadent Nos per literas ſuas, vt tamquam protectionem et advocationem Eccleſie geſtantes ad id operam demus.* Ideo ſe indixiſſe Conventum *in feſto ſancti martini proxime apud Nurenbergam* &c. *Wyenne 1. Junij Regeni noſtri anno 4°.* 1443. 9) In eundem ſenſum *Copia ad Collegium Cardinal. Eugenij Domini Friderici Regis Rom.* eod. anno et die. Init: *Non latet v. p. R^mas. quanti periculi ſit* &c. Epiſtolam utramque, ut manu ſcriptam, ita et ingenio *Haſelbachii* conceptam autumo. 10) *Copia Cardinalium reſponſiua ad premiſſa.* Remittunt ad Reſponſum *Eugenii;* addunt tamen: *Veriti ne ſub tractatu pacis noua diſſidia et quidem pejora prioribus oboriantur, ſue Sanctitati, vt tenemur, pro viribus aſſiſtemus, et ſancte Sedis Apoſtolice auctoritatem, Juriſdictionem atque libertatem omni ſtudio atque diligentia defendemus. Ex Senis die 27. menſis Auguſti* 1443. 11) *Reſponſio Domini Eugenij ad premiſſa.* Non ita, ſed ad Literas *Friderici ex Wienna 25. Junij* datas, quae hic non habentur. Conqueritur de electo Antippa. *Et ſi clare memorie Sigismundi Romanor. Imperatoris tempore ſcelus illud impij pluries intentaſſent, piiſſimo tamen illo principe — perficere nequiuerunt.* Revocat in memoriam *legationem illius celebris memorie Cardinalis S. Crucis* (Nic. Albergati) *Anno domini 1438. in dieta Nurenbergen. expoſitam illiusque contemptum*, ſua priora item reſponſa, in quibus nihil ſit *a caritate diſiunctum; Neutralitatem* obpugnat, *Romam* ad Concilium invitat &c. Gravis et erudita Epiſtola data eſt *Senis Anno 1443. octavo kal. Septembr. Pontificat. anno 13.* 12) *Sereniſſimo principi friderico Dei gratia Romanorum regi ſemper auguſto*

fratri